Medicina

Grutinii Andr: Medicus dogmaticus.

Cracov. And. Petric. 1598.


V
B
J
C

MEDICUS DOGMATICUS,

Ab

ANDREA GRUTINIO PILSNENSI, Philosophiæ & Medicinæ Doctore & Professore, compendiosè pro tyronibus adumbratus.



CRACOVIÆ,
In Officina Andreæ Petricouij,
Anno Dñi, 1598.

411.

IN MEDICVM C. V. ANDREÆ GRVTINII CARMEN.

QVisquis erit cupiens Medicum dignoſcere verũ,
Atq; hominum peſtes effugere ἀνδροφόνους:
Grutinij voluat pulchrum doctumq́; libellum:
Hic breuis ac elegans iſta docere poteſt.
Dum firmam rationem vſus comitatur, eodem
Decipere haud vllum tunc medicina ſolet.
At ſi præcipiti quisquam curans ruit vſu,
Phœbus ſi fuerit decipit arte mala.

M. ERASMVS SIXTVS
Leopolien.

ILLVSTRI ET MAGNIFICO DOMINO D. LEONI SAPIEHA, MAGNI DVCATVS LITVANIÆ SVPREMO CANCELlario, Slonimeñ, Rethouieñ, Bludneñ &c. Capitaneo. Dño colendissimo.

D. ANDREAS GRVTINIVS Pilsnen. S. P. D.

Diuinus Plato in Gorgia, Jllustris & Magnifice Domine, ad vitam hominis in Repub. gubernandam, quatuor artes, quarum duæ ad animam, duæ ad corpus pertinerent, necessarias esse referebat. Ad animam pertinentium vna est, qua leges conduntur: altera qua ea quæ condita sunt iudicantur. Corpori verò deseruientium, prior Gymnastice dicta, circa exercitationem corporis ad sanitatem tuendam versatur: posterior verò Medicina appellata, morbis curandis tota incumbit. Has quatuor, quòd certa ratione ad bonum perducerent, nomine artium dignabatur Plato; cæteras his oppositas, meras adulationes vocādas censebat. Gymnasticę porrò nomine intelligebat,

telligebat, non vulgarem illam & seruilem, qua luctatores non ad bellum gerendum, hostemq́; stratagemate aggrediendum, verùm propter palæstras certaminaq́; virium, vtq́; dicereutur palæstritæ, exercebantur: sed ciuilem, qualem Herophilus præceptor Hippocratis cùm primùm exercuisset, post modum incidens (vt scribit Plato) in quendam morbum, videns se in posterum minùs aptum illi exercendæ fore: & se ad Medicos & omnia Gymnastica præcepta, interim adhuc confusa, ad artem Medicam traduxit: quaq́; nobiles adolescentes bellis gerendis, hostibus arte fallendis, idonei futuri exercebantur. vt ex eo perspicuum sit, artis Gymnasticæ functionem ad corpora exercenda, non ad Medicinam pertinere. Cùm igitur in hac florenti Repub. vt ex eius rerum gerendarum progressu quisque aduertere potest, priores tres artes fortasse vigeant: quartam verò non minùs quàm reliquas, imò fortassè magis necessariam (cùm duæ priores animum, posteriores verò corpus curent) in paucis admodum cernamus. Eamobrem per otium, Syrio ardente, non tam gloriæ, à qua semper alienus fui, quàm publicæ vtilitatis gratia, Commẽtariolũ de Medi-

co vero, cupiens iunioribus qui se huic arti addixerũt, fontes ex quibus perfecti Medici haurirẽt, summò digito demonstrare; ex Hippocrate & Galeno conscripsi. Hanc igitur qualemcunque lucubratiunculam meam, sub nomine Illustris Magnificentiæ V. quoniam eiusmodi Heroas, qui præter generis claritatem, natalium splendorem, virtutes magnas & admirandas, in literas & literatos, natura benigniores & clementiores sint; qualem Illustrem Magni: V. omnes profitẽtur, cui natiuus est & peculiaris amor literarum & literatorum hominum; paucos admodum & raros nunc habemus; in publicum prodire volui. Cuius enim authoritate Serenissimus Rex singularem ipsius in magnis gerendis rebus dexteritatem & felicitatem admiratus, in grauissimis legationibus, magno consilio susceptis, singulari prudentia administratis, incredibili celeritate confectis, summa diligentia constitutis, ceu quodam diuino, quem veteres artibus & scientiis præfecerant, omniumq; legationum ad mortales & deos finxerunt, Mercurio, cum laude & bono Reipub. vtendum semper putauit: eius mihi patrocinij auspicium in præsenti opusculo edendo quærendum authoré

 rendum

rendum existimaui. Tum vt ingenuis adolescentibus commendatius hoc nomine euadat: tum vt contra maleuolorum contumelias nominis ipsius authoritate muniatur. Quare Illustris Heros, quo vultu soles istiusmodi reliqua, hoc meum hunc Medicum accipe, id est placido & benigno, meq; ipsum etiam in tuę protectionis placidissima vmbra patere quiescere. Deus Opt: Max: Illustrem M. T. diu conseruet incolumem. Dat: Crac: Idibus Septembris. Anno Domini, 1598.

MEDICVS DOGMATICVS.



EDICVM Dogmaticum & perfectum inuenire, eiusq́; curandi abſconditum & longiſsimum artificium deſcribere; arduum & perdifficile opus eſſe vnuſquiſq; fortaſſe animaduertit. Cui etenim totum vitæ ſuæ curriculum ad vſum artis rectè aſſequendum non ſufficit, is quomodo perfectus, & omnibus numeris abſolutus Medicus dici, aut haberi, vel deſcribi poterit? Verumtamen cùm Plato Rempub. qualis ipſa eſſe debeat, quamuis nulla talis Platonis Reſpub. fuit, nec vnquam inuenietur, in ſuis libris doceat: Galenus cùm hominis ſimpliciter & exquiſitè ſani idæam, quæ nunquam inuenitur, Medicumqúe optimum qui idem & Philoſophus ſit, luculenter exprimat. Cicero etiam cùm Oratoris perfectiſsimi officia & præcepta, qualis deberet fieri, non tamen inuentus eſt, artificiosè oſtendat: quinimò Polycletus ſtatuam hominis vnam adeò pulchram, vt nullus homo vn-

homo vnquã inuentus ſit qui poſsit ei in pulchritudine comparari, cùm fecerit: profectò etiam non erit à propoſito meo alienum, ſi ſpeciem aliquam & formam Medici Dogmatici & perfecti, ex Hippocrate & Galeno, quàm breuiſsimè, ſequutus Coſmographos, qui totius orbis ambitũ anguſta tabella contrahunt, adumbrare conabor. vt & ipſe ad artis tam magnæ finem, notis conſtitutis, aliquando tandem peruenire; vel quoniam non omnibus hominibus licet adire Corinthum, ſi non ad ſupremum gradum habitus & vſus artis; ſaltem perfecti & veri Medici propoſita idæa, ad illam quàm proximè accedere vel melior effici poſsim: aliisq; iunioribus, qui non quæſtus, ſed de hominibus bene merendi gratia, finem artis expetunt, & arti tam magnæ operam dare vehementiùs cupiunt, viam & iter commonſtrare, & Medicum, ceu pictor penicillo, depingere valeã. Sicuti autem Apelles aliquam imaginem effingẽs, non docebat pingendi artem; ſed ſatis habebat vt in figura illa, ars ſua optima & artificium inſigne reluceat: ita quoq; in hac delineatione Medici mea, nemo methodum medẽdi & artem expectet velim: quæ vno anno, Galeno teſte, ab ingenioſo diſci poſſunt; exercitationem autem & vſum, ex quo finem artis & honorem, ij qui ſe magis circa hoc occupauerint & dederint, longa licèt vita vix aſſequuntur. Quoniam ars longa, hoc eſt, vſus ab

[Margin: .. de plac: Hip. & Plat.]

[Margin: Hip: 1. Aph.]

ſus ab illo habitu artis emanans, difficilimus & longiſsimus eſt, propter occaſionem agendi præcipitem: quæ adeò neceſſaria & cognitu difficilis exiſtit, vt etiam ab exercitatiſsimo vix percipi poſsit: nihilq; in rebus agendis difficiliùs eſſe Galenus dicebat, quàm occaſionem inuenire: cùm in quodam temporis puncto indiuiſibili conſiſtat. 1. ad Glauco.
Huc accedit experimentum, ob ſubiecti nempe corporis humani nobilitatem, quod omnium corruptibilium perfectiſsimum, menſuraque aliarum ſpecierum eſt, fallax, iudiciumq; difficile, Hippocrate docente. Quare difficile licèt munus Medici, ſed tamen pulcherrimum eſt, ab eoq; ſublimia ingenia deterreri non debent. nam ſi per methodum & veram rationem ars hæc diſcatur, non eſt tam longa vt opinantur aliqui: longa eſt his, qui non cum artificio & methodo diſcũt & exercent eam. Et quoniam communi nomine, & Ocularij, & Auricularij, & Dentarii, cæteriq; alii, ob commune propoſitum, Medici latiùs fuſo vocabulo appellantur, cùm ſanitas apud omnes communis intentio ſit; modus autem non omnium vnus, ſed in numerum ingentem excreſcit: à vulgo etiam, qui nomina aliqua Medica nominant, & ſecundum artem aliquid agunt, Medici exiſtimantur; quod non tam vitio vertendum quàm conſuetudini dandum eſt. Tamen ille demum optimus, perfectus, Hippocratisq; imitator, Medicus nun-

459.

dicus nuncupandus erit, qui artem & methodum curandi perfectè sciens, eam multo tempore in innumeris hominibus curandis cum ratione probet, & quàm diutissimè & accuratissimè exerceat, experimentisq́; confirmet. Et quemadmodum scopus gubernatoris nauis est seruare nauim, sed non est eius finis, nisi cùm eam seruat; ita sanitas est scopus Medici semper, sed non est eius finis, nisi cùm potitur ea; peritus etiam nauclerus habetur, qui nunquam fecit naufragium: ille autem pro malo Medico habetur semper, sub cuius curatione multi perierunt. Ideò futurus Medicus meus is quem formandum suscepi; cùm solum scopum hunc, vitam nempe ægri & sanitatem, nō autem ambitionem, honorem aut diuitias (adiicientur enim hæc) in primis sibi proponet: & cùm ab vniuersalibus ad particularia procedere, artemq́; præstantissimam exercere voluerit: opus erit (vt finem artis assequatur) eum ingeniosum esse, multumq́; studiis incūbere, & penitus ab omni cura & solicitudine seiunctum, ab omnibus deniq; aliis impedimentis alienum, & omnia fortunæ bona (quoniam huius artis difficultas hoc exigit) contemnere; non enim simul possumus & pecuniam congerere, & arti tam magnæ operam dare: sed qui alteram vehementiùs appetat, alteram contemnat necesse est, dicebat Gal: neq; poterit esse optimus Medicus, nisi is sit & bonus Grammaticus,

In suo Medico.

B

420

maticus, bonus Logicus, Rhetor, Mathematicus, Physicus Moralis & Methaphysicus: & vt vno verbo comprehendam, nisi sit in omnibus prudẽs & optimus vir spectatæq; probitatis. Artem ergo emendatè loquendi, ex lectione veterum optimorum & elegantissimorum authorum, qui sermonis elegantia præcelluerunt, in eum finem, vt fundamentis solidè iactis, ædificium Philosophiæ & Medicinæ superstruat, consequetur; non vt in eo studio consenescat, & per omnes omnium scriptorum libros circumagatur: sed vt degustet optimos, & reliqua suppeditet præceptor: ne de ipso dicatur, quod tempore Galeni de nonnullis Medicis dictum fuit; qui tantam Grammaticæ, Dialecticæ & Rhetoricæ cognitionem habebant, quantam asinus lyræ: quamuis & nunc reperias aliquos in vno verbo bis peccantes. Huc addet & Historiam (quæ sine Cosmographia & Arithmetica cœca est) & antiquitatis cognitionem, adhæc trium linguarum peritiam vel etiam plurium, quamuis δίγλωττος duas callens linguas, olim miraculi instar fuit. Sciat tamen tres linguas, vt veterum libros rectiùs intelligat & iudicet. Dialectica quoq; cœca est absq; Grammatica; quicquid enim agit Dialectica, per sermonem agit, per hunc enunciat, deffinit, diuidit & colligit; quare hoc instrumentum Dogmaticorum Medicorum sibi comparabit, si Dogmaticus non Empiricus

 haberi

haberi voluerit, qui ab vno particulari ad aliud particulare procedunt, exemplo & signis vtuntur, Epilogismumq; conficiunt. Dogmatici autem Analogismo ab vniuersali ad particulare, & è contrà procedendo, in prima secundaué figura concludendo, vtuntur. qua in re multùm elaborabit, illam Galeni sententiam timens: Satius est bonum Empiricum esse, quàm malum Dogmaticum & expertem demonstrationum. Rhetoricæ autem quæ huic cognata est, tantùm dabit operæ, quantùm poterit ex eius vsu sibi dicendi facultatem parare, educabiturq; à præceptore, non scholæ Rhetorum, sed Medicinæ; non enim destinatus est agendis causis forensibus & obeundis principum legationibus, sed sanitati conseruandæ & restaurandæ: vtque quomodo conseruetur & recuperetur, apposite causas modumq; agendi edisserat; ne illud Aristotelis ab aliquo Philosopho cum probro audiat: Nolo me tanquam fossorem aut bubulcum cures, edissere causas, &c. Omnino opus est, vt mœstos ægrotantes soletur, timentes animet, iratos placet, furentes coërceat, animiq; omnes perturbationes sedare posſit, ex quibus constat humores & spiritus conturbari, corpus alterari & vires deiici. Ideò & Moralis Philosophiæ gnarum oportet eum esse, vt motus & alterationes in hominum animis sciat; qui ad agendum, quiué ad patiendum apti sunt animi, ob hoc qua-

2. Therap. cap. 6.

hoc quale corpus ægrum ſanitatem ſuſcipere aptum eſt, quale non. Veluti etiam optimus Orator varios animorum affectus cognoſcens, iuxta vniuſcuiusq; temperaturam, variè circa perſuaſionem & diſuaſionem animorum verſatur. aliter enim Regis animus ad motum ſe habet, aliter verò ſubditi & pauperis: alius pueri, alius adulti, mulieris alius animus: quæ omnia animi accidentia, exactè ſcire Oratorem oportet, ſi perſuadendi tramitem reperire voluerit. Porrò Mathematicas diſciplinas facillimas, quæ etiam à pueris diſci poſſunt, facilè Medicus percurret; neceſſaria & facilia illarum artium deguſtans, ſitum ac motum orbium cœleſtium ad plurima neceſſarium non ignorans. Neq; Lunæ radiationes in exhibendis medicamentis tantoperè, vt vulgus facit, euitans; Nam cùm ducere volueris elleborum, moue corpus, dicebat Hipp. cùm verò Luna cum Sole coniungitur & radiationem init, mutantur tempora manifeſtè, quia elementa & humores agitantur. Bonum ergo eſt tunc Medicinam exhibere in coniunctione corpori repleto, in quadrato & poſt oppoſitionem purgantur meliùs, optimè autem purgantur vel minuuntur hora radiationis cum Sole, vel cùm Luna Ioui vel Veneri ſociatur, teſte Galeno. Congreſſum autem Lunæ cum Saturno vel Marte & alia cauebit; aëremq;, aquas & loca varia & diuerſa conſiderans. *3. de diebus decretoriis.*

 Diuina-

425

Diuinatricem autem Astrologiam, & Genethliacorum curiositatem, penitus negliget. Astrologi enim semel obseruato sydere, legem statuunt: cùm quæ à cœlo capiuntur causæ nondum satis sunt cognitæ; sed coniectura quadam capiuntur, quam inuexit semel oblatus euentus. Huic ergo curiositati, ne tota hominis ætas sufficere posset: ideò illorum commentis minimè credendum & insudandum Medico erit. Geometriam nihilominus perspectiuam cæterasq; bonas disciplinas tenebit, non tamen in his porticibus & studiis diu desidebit. Multumq; vt quorundam desidiæ consulamus, compendij ad adipiscendas disciplinas adferet, si ex optimis præcipua commodissimè delibet, superstitiosa resecet & reiiciat, omniumq; artium εγκυκλοπαιδειαν absoluat: septemq; illas conditiones Medico necessarias, à Galeno positas, ante oculos habebit: acre ingenium, educationem à puerili ætate atq; exercitationem, aures omnibus qui optimi sua tempestate esse iudicantur accõmodatas habere, nullis laboribus parcere, vt præter disciplinas, aliud nihil die noctuq; meditetur, veritatis amantissimum esse, methodum perdiscere, qua verũ & falsum discernitur: prẹter hẹc autem omnia Methodum exercere. Naturaliũ porrò cognitionẽ ita tractabit, ne parte Medicinæ præcipua destiturus, ex qua Physicus appellatur, esse videretur. Vbi enim desinit Physicus, ibi

de const: Artis cap: 7.

incipit

incipit elegans Medicus, dicebat Aristoteles. Lib. de sensu & sensibili.
Multùm ergo in ea proficiet & operæ ponet; non tamen per vniuersam ætatem, de materia prima, de principiis, de infinito, de mundi generatione disputabit: sint etiam quàm ingeniosa, subtilia, quæ Scotus tradit: sed hæc ad Medicum nihil. Magiam autem & Cabalisticam & Alchimiam penitus contemnet & deridebit. Chimista enim, vt illos prætermittam & ex vno cognoscantur reliqui, quærit calore benigno conficere aurum omni artificio, & cognoscit materiam metallorum: tamen non potest assequi vt faciat aurum; facit quidem auro aliquod simile, est tamen infinita differentia, quia natura sola mixtionem veram facit, quia natura est intra rem quam facit, penetrat in singulis, & ideò ad finem omnia deducit: Alchimista autem vt artifex est extra; ideò solùm extrà delineat, vt pictor & sculptor: natura habet instrumenta idonea, calorem agentem non igneũ, sed correspondentem calori stellarum: habet partes verè simplices, ideò attingit finem; & quæcũque commiscet, omnia sunt perfecta. Vanum est ergo & ridiculum, inter fumum & carbones desudare, & magnum dispendium & temporis quod esset in meliores vsus distribuendum, & rei qua familiam & egentes alere deberent, in hac vanitate collocare & perdere. Mirum tamen est huic studio & distillationi, quæ non tantopere rei Medicæ est

dicæ est

dicæ eſt neceſſaria, frequentiſsimè autem imò ſemper periculoſa & damnoſa, tam prophanos quàm ſacrificos, eosq; primarios viros, dare operam: decoctiones enim plantarum eſſe efficaciores aquis diſtillatis & ſumptuoſis, manifeſtū eſt. Olea autem ſua Dioſcorides, ad ſolem diebus Caniculæ parabat, non ignis vi Empireuma illis inducebat, licet aliqua ad ignem fermentabat. Memini me luſiſſe potiùs quàm ſcripſiſſe quædā in eam artem, vt ſeriò homines ab hoc inani & vano ſtudio reuocare, aliosq; ne attentarent, monere & præcauere poſsim. Trahat tamen quemq; ſua voluptas. Cæterùm Dogmaticus & Phyſicus meus, potiùs in ſimplicium cognitione & Anatomica exercitatione, multùm temporis inſumet, & materiam hanc medicam, non ad mulierculas imperitas aut ſeplaſiarios relegabit. Si enim plantarum, in quibus non tam manifeſtæ ſunt operationes, in mineralibus autem occultiſsimæ, naturam ignorauerit; quomodo medicamentorum compoſitionem ſcire poterit? quomodo non ſæpe fine ſuo fruſtrabitur, medicinæq; calumnia inferetur? ſed frequenter eas ipſe inſpiciet, & à Doctore, ortum, interitum, integram ætatem & decrementum, effectusq; & cauſas earum atq; differentias, gradus, conuenientiam formarum & occultas cauſas diligenter inquiret & conſiderabit. Et quod faciet ad memoriam, methodo certa in

his & in omnibus aliis, gustuq; certiore cæteris sensibus hoc in studio vtetur. quoniam simul & tactiles & gustabiles qualitates is sensus percipit; medicinæq; omnes omniaq; mixta in potentia, corpus autem animalium in actu calorem habent. Ideò ex sapore, vires tam primas quàm secundas, tertias & quartas, medicamentorum omnium cognoscet, & Dioscoridem atq; Galenum perleget. qui quidem Dioscorides ad quingentas plantas summa diligentia descripsit, vires autem non omnium expressit: quarum plantarum vires si cognoscerentur, magicæ profectò esse existimarentur. Quæ verò ab animalibus & mineralibus sumuntur, eas non negliget; licèt mineralium infinitæ propè sunt proprietates & operationes propter diuersitatem mixtionis in iisdem. Anatomiæ autem, quæ est alphabetum Medicinæ, vt potè quæ sola loca malè affecta valet indicare, non solùm sectioni astabit, verumetiam propriis manibus sectiones obibit, & illas perinde ac simplicia medicaméta sedulò frequenterq; versabit. Artem enim hanc secandi corpora edoctus Galenus, illũ (nota historia est) qui è vehiculo Romam proficiscens deciderat & trium digitorum manus sensum amiserat: cum summa Medicorum admiratione, eundem & infinitos alios breui sanauit. Anatomiæ autem imperiti, & præsertim ij qui eam crebrò in simiis & hominum corporibus non fuerint in-

1. de loc: affe: cap: 5.

 erint in-

Gal: de cõp: me: per genera lib: 3. cap: 4.

erint intuiti, ſed fortuita ſola & ſpeculatione vulneraria contenti, in neruis curandis; ſimiles iis ſunt qui iter in lectica cœci faciunt, vehemēterq́; errant; putredinem, claudicationem, conuulſionem, & ipſam mortem ægris inferentes. Addiſcat ergo meus Medicus ſimiæ & humani corporis conciſionem, muſculisq́; diſſecandis manum admoueat, principium & extremum illorum, fibrasq́ue omnes videat, hoc enim tum Medicinæ parti quæ manu medetur (χειρουργίαν Græci vocant) tum actionibus inueniendis, haud parum illi profuerit, & vulgaribus Chyrurgis admirationi erit. In qua parte ſeu inſtrumento artis, & in omnibus aliis, Galenum ipſum, & ex recentioribus Andream Veſalium & Ioannem Tagaultium, alioſque videbit, ipſiq́ue Galeno adhærebit; quem ſi intelliget, omnes intelliget, vnusq́; Galenus pro innumeris authoribus illi ſufficerit. Præcipuè tamen in Galeno ſi feſtinabit, iſti libri legendi erunt, libri de Elementis, libri de Temperamentis non oſcitanter legendi, de Naturalibus facultatibus, de locis affectis, libri Anathomici, libri ſex de differentiis & cauſis morborum & Symptomatum, aurei quidem & ad vnguem addiſcendi, libri de ſanitate tuenda, libri de ſimplici medicina, & tandem Therauperica, & iſti libri Organici Medicum & optimi præceptores inſtruent, ad rectè opera Medica exercenda. Poſt

da. Post hæc autem ad Hippocratem accedet, eiusq; Aphorismos omnes, tanquam digitos suos tenebit, in quibus libris ars veluti in pugillo continetur, & vno intuitu habetur: ad hos tamen & alios libros, neminem accedere debere vetat Galenus, nisi prius totam Medicinæ facultatem viderit. nemoq; Hippocratem legat, nisi omnes meos antea libros legerit; quoniam Hippocrates artis tantummodo semina tradidit, ego autem, inquit Galenus, artem totam perfeci. Summa ergo prudentia, diligentia, multarum rerũ cognitio, omniũ scriptorum Galeni & Hippocratis lectio, à Medico optimo futuro exigitur: quãuis ex tribus partibus librorũ Galeni vix vnam partem, & Hippocratis non adeò multos habemus, libros de Natura humana, de Regimine victus acutorum, de locis, àére & aqua, de Humoribus, libros Prognosticorum (libri Prorhetici falsò attribuuntur) Epidemicos, Aphoristicos & alios. liber tamen de alimentis, nec secundus Epidemiorum, nec secundus de natura humana, nec liber de carnibus Hippocratis genuinus est, scripsit etiam librum ἑξηκοντα vocatum, vbi totam etiam Medendi artem complexus est, sed interuallo temporis periit: quæ omnia percurrere, vt difficillimum ita pulcherrimum & admodum necessarium illi est. Maximè autem sic imbutus, & sic ab optimis quibusque præceptoribus instructus,

4. Aphor: 71.

6. Methodi cap: 4.

 exercita-

exercitationi artificiosæ se tradet, experimentisq; artem comprobare maturè assuescet: quatuor præ oculis semper habens. Primò, vt ea intentione, eo animo accedat ad patientem vocatus, vt morbũ remoueat, adultera artis negligat; non accedat vt lucretur, sed vt sanet ægrotum, & quærat quę citò, tutò & iucundè id præstare possunt. Secundò speculandum illi erit circa ægrum, vt cognoscat morbum & morbi naturam. Tertiò, antequam aggrediatur curam, præmittet prognostica & præuidebit futura, quo seruabit honorem proprium Medici. Vltimò ad curationem morbi se accinget, indicationes eriget, & remedia parabit. Fontes digito monstro, ideo, ne miretur si tantùm capita attingo, fusiùs tamen & luculẽtiùs hoc in quo cardo rei est explico. Vniuscuiusq; morbi cognitionem in quatuor consistere sciet, in essentia seu natura morbi, motu morbi, tempore & moribus morbi. Et si cognoscenda est essentia morbi, priùs cognoscendæ causæ ipsius, tam intrinsecæ quàm extrinsecæ sunt, quæ constituunt morbum. Ratioq; formalis à Medico primò consideranda, non solùm in genere, sed etiam in particulari & specie specialissima & indiuidua, vltra quam non licet progredi; veluti quando considerat aliquam febrem, primò formam cõtemplatur in genere vniuersali, & videt quòd ista febris est quædam qualitas eius, quæ est dispositio; sed quia

ista dispositio præter naturam latet, calor verò igneus, proxima causa febris, statim percipitur. ideò Medici definiunt: Febris est calor naturalis mutatus ad igneum, accensus in corde. sed istud non sufficit in genere scire, oportet deuenire ad speciem specialissimam & differentiam formalē huius febris, cuius essentiam inuestigamus, & tum cognoscimus, quando illa forma vniuersalis in praxi applicatur formæ particulari: vt forma etiam Epilepsiæ est contractio, quæ contingit in ipsa. Sic forma febris Tertianæ, calor mordax & paroxismus inuadens cum frigore: & hæc vel est exquisita, vel notha. sic Epilepsia, vel per se, vel per consensum, in hoc vel in illo indiuiduo; & ita consideranda forma morbi, qua cognita materiam considerabit: illud non ignorans, quòd morbus non intelligitur componi ex materia & forma, vt homo componitur ex anima & corpore, vt partibus essentialibus & substantialibus, ita vt habeat formam & actum substantialem coniunctum materiæ; sed appellatione materiæ intelliget causam, vt humorem à quo immediatè pendeat ægritudo, & cui inhæreat forma huius ægritudinis, vt in suffusione oculorum dicimus obstructionem esse formalem rationem, materiam verò dicimus esse illam aquam, quæ intercidit inter pupillam & tunicam corneam, oppilantem spacium intermedium; illa non est vera forma, hæc non est vera mate-

ra materia:ſunt cauſæ à quibus dependet læſio viſionis: & quia eſt humor aqueus corpulentus, dicitur materia morbi, à qua dependet immediatè oppilatio illius ſpatij. Eodem modo in febre putrida, quando dicitur quòd humor putridus eſt ſua materia, non intelligimus veram materiam ex qua componatur, neq; calorem ita eſſe formam vt det actum materiæ & faciat vnum per ſe, ſed eſt proxima cauſa diſpoſitionis, quæ vocatur febris; & hæc non eſt forma, ſed accidens, & qualitas de prima ſpecie, quæ inhæret huic materiæ. Materiam ergo vt formam morbi debet etiam in genere & ſpecie Medicus, ſi rectè curare voluerit, conſiderare: quæ duplex eſt. Proxima ſeu cõiuncta, & immediata materialiſq; cauſa morbi: qua poſita, ponitur actu morbus, & remota remouetur; veluti aqua illa decidens inter corneam & pupillam, eſt cauſa materialis proxima & coniuncta ſuffuſionis, & putridus aliquis humor ſiue pituitoſus bilioſus ſiue aliquis alius, dicitur cauſa materialis, eo quòd proximè cauſa eſt morbi, & coniuncta cum forma morbi. Eſt & altera materia impropriè dicta, largo modo accipiendo nomen materiæ, pro eo cui inhæret, tanquam forma & accidens in ſuo ſubiecto receptum vt ſubſiſtat. Non poſſet enim eſſe morbus, niſi eſſet ſubiectum in quo ſubſiſteret, & hoc eſt corpus humanum, in quo ſunt diuerſa ſubiecta: quemadmo-

 dum he-

dum hectica febris eſt in cordis ſubſtantia, & in membris ſolidis, tanquam in ſubiecto: quæ febris eſt ſine materia primo modo dicta, non habet aliquam cauſam materialem vel coniunctam, ſed eſt ſimplex, nempe calida & ſicca intemperies, in membris ſolidis confirmata: quam febrem nunquam poterit remouere, niſi priùs cognoſcat ſubſtantiam ipſorum membrorum, in qua vt proprio ineſt ſubiecto. & cognita materia, hoc eſt ſubſtantia ipſorum membrorum, alterabit ſeu alterãtibus remouebit intemperiem ſimplicem: non eſt enim intentio aliqua ad humorem, cùm non pendeat ab humore: & ſi morbus careat materia & humore à quo dependeat, tamen habet ſubiectũ in quo ſubſiſtit. In quacunq; ergo ægritudine, & cauſa coniuncta, & corpus humanum vniuerſaliter in quo eſt morbus, & num in corde, num in aliis membris, num in toto, contemplandum eſt. Poſtea ad cognitionem eſſentiæ morbi, cauſæ extrinſecæ quæ ſunt agens & finalis, conſiderandæ ſunt. Sed omiſſa finali, quam Medici nihili faciunt, (in morbis enim quos natura non intendit, finis conſideratio nulla, morbi ſunt errores & defectus naturæ) potiùs ergo vertet ſe ad contemplandas efficientes, quæ præcipuè ſunt in tractationibus Medicorum, quarum quædam procatarcticæ, id eſt primitiuæ, extrinſecæ ſunt omnino & extra corpus humanum, vt àër ambiens exteriùs

totum corpus, & per anhelitum ad cor exceptus, cibus & potus pro nutritione, animi accidentia siue perturbationes, quæ quotidie in rebus agibilibus contingunt, variè & diuersis modis, & reliquæ omnes sex causæ quæ dicuntur à Medicis res non naturales; istæ exteriùs existentes, occurrunt necessariò corpori humano, & alterant, alterando immutant, & varios inducunt morbos. Sunt aliæ quædam causæ proigumenæ seu antecedētes appellatæ, efficientes, extrinsecæ & ipsæ, sed intra corpus humanum, quæ efficiunt morbos alterando. Et istæ sunt humores in corpore existentes, qui non actu faciunt morbum, quoniam essent causa coniuncta, de qua superiùs dictum fuit, sed apti sunt vt ipsum efficiant, & leui quacunque de causa & occasione moueantur & faciant morbum: aliquando accidit, vt colligantur humores intra corpus, qui aliquid etiam leue passi efficiunt ægritudinem, & actu iam morbum faciunt. Istas ergo efficientes, non quòd actu morbum efficiant, sed quia possunt efficere, propter præseruandum considerabit. Secundò, naturam morbi penes motū ipsius videbit. Non enim eodem modo omnes mouentur ad declinationem & ad terminum suum: quidam sunt velocissimi motus, vt cùm primùm inceperint, statim videantur deficere & terminari: quidam tardè mouentur. Illi qui citò & velociter mouentur, à

Græcis di-

Græcis dicitur ὀλιγόχρονοι, quaſi dicas pauci temporis & citi motus. Qui verò tardè, χρόνικοι, quaſi dicas multi temporis & longi motus appellantur. Sciendum ergo eſt, quando terminaturus ſit, an citò, an tardè, nunquid ſit ὀλιγόχρονος, an verò chronicus: quoniam ſecundum tarditatem & breuitatem morbi, habemus occaſionem ad dirigendam victus rationem & ad exhibendas medicinas. Occaſio enim præceps eſt, vt ait Hipp. ſpeculari oportet occaſionem, ne tranſeat inconſideratè, vt nihil poſtea agere poſsimus. Aliam rationem victus inſtituimus in his qui citò terminantur, aliam in his qui tardè: in acutis ſtatim in principio occaſio ad operandum eſt, vel pharmacum exhibendo, vel ſanguinem mittendo: in chronicis autem ſenſim procedimus. Tertiò obſeruanda ſunt tempora, quia in diuerſis temporibus morborum diuerſo modo procedimus in curatione: aliud agimus quando morbus eſt in principio, aliud quando in augmento, aliud in ſtatu, aliud in declinatione. Tempora morbi attenduntur & diſtinguuntur penes coctionem & cruditatem, & apparent ſigna coctionis, quæ indicant pugnam naturæ cum morbo, vt benè demonſtrabat Galenus initio de Criſibus. Itaq; ſi vult conſiderare tempora morborum, & habere earum diſtinctionem; cruditatem & coctionem inſpiciet. Quartò & vltimò oportet videre mores ipſius morbi. Mores intelligo penes Symptomata ſeu acciden-

4.35.

tia: num sint mitia & benigna, an verò sæua & timenda? quandoquidem si benigna & mitia fuerint accidentia, morbus etiam indicatur esse benignus non lethalis, & sic dicuntur morbi bonorum morum & bonæ naturæ. Contrà sunt aliqui morbi cum accidentibus sæuis, malignis & detestabilibus, qui propriè à Græcis dicũtur κακοήθεις, malæ naturæ & malorum morum, quoniam habent malitiam, & sunt cum periculo vitæ, ne ad mortem terminẽtur. Tantò ergo diligentiùs mores morbi considerandi, quantò magis faciunt ad curationem tum ad prognosticum, sed magis ad prognosticum: vt in acutis, quando ægritudines citò mouentur, & habent deterrima Symptomata, prædicemus futuram mortem. Si verò benigni sunt morbi cum benignis accidentibus, salubrem dicemus. Ad curationem autem confert hoc scire. quoniam cùm ægritudinem sciemus salubrem vel insalubrem, sciemus quoq; quomodo nobis erit procedendum, & nunquid operandũ, vel non? Quando itaq; considerabit veniens ad ægrotum ista quatuor: essentiam morbi penes causas: & intrinsecas materiam & formam: & extrinsecas efficientes: tempora morbi, in quo tempore sit, quando erit vocatus, num in principio vel augmento, &c. motum, an citi motus, acuti vel tardi chronici: & mores, vtrum ægritudo mores benignos habeat an malignos? tunc verè cognoscet naturam morbi, in qua consistit tota cu-

rationis

rationis ratio. Natura ægritudinis est illa, quæ per indicationes proprias dirigit Medicum in curatione. sed quia hæc quatuor non semper manifesta sunt & nota, latent & sunt occulta: oportet ergo à posteriori per effectus deuenire in cognitionem ipsorum. Ergo indicia sunt à nobis inquirenda: indicia & signa haberi non possunt, nisi locos constituamus, à quibus vniuersaliter vt fundamentis & fontibus signa eliciantur. Hi fontes sunt in duplici differentia: primò alij sunt intrinseci: alii verò extrinseci, à quibus non sumuntur vera signa morbum statim indicantia. Intrinseci sunt actiones læsæ, quæ immediatè à morbo dependent. Fontes intrinseci signorum morbum significantium sunt quinq; numero, ex sententia Gal: Primus est actio læsa, quæ cùm primò & per se morbum significat, quamuis ostendat etiam locum affectum secundariò. Secundus fons, sunt exeuntia extra corpus humanum præter naturam & mutata, vt sunt vrinæ præter naturam, recrementa alui, sudores, & similia corporis excreta: quæ enim excernuntur à corpore, vel sunt naturalia, vel præter naturam: non naturalia à quibus sumuntur indicia morbi, quia præter naturam sunt, dicuntur exeuntia mutata. Tertius fons est, dolor qui apparet in aliqua parte corporis: vbi est, indicat morbum: vbi dolor, ibi ægritudo, dicunt Medici. & non modò dolor indicat locum affectum, verùm etiam morbi magnitudinē:

2. de locis affectis cap: 9. & aliis locis.

 si ma-

ſi magnus dolor, magnus eſt morbus, ſi paruus, paruus: ex differentiis doloris cognoſcet etiam varias materias morborum. Quartus, cùm fuerint tumores in aliqua parte corporis, indicant eſſe ægritudinem in ea parte: vbi eſt tumor, ibi eſt ægritudo. Quintus & vltimus, ſunt quædam accidentia propria, quæ conſequuntur morbum, ſicut vmbra ſequitur corpus, tuſsis conſequitur ægritudinem exiſtentẽ in membris ſpiritualibus, vbi materia in thorace fuerit collecta, ſtimulat virtutẽ & inſequitur tuſsis. Tuſsis enim nihil aliud eſt, quàm motus vehementiſsimus partium ſpiritualium, inſtitutus & factus à natura, vt expellat nocumentum in illis exiſtens: vbi igitur tuſsis eſt, ibi ægritudo eſt in thorace & partibus ſpiritualibus. Iſte eſt vltimus fons ſignorum, accidentia propria conſequentia morbum, non exeuntia, non actiones læſæ. Iſta accidentia vel ſunt perpetuò conſequentia & ſubſequẽtia, vel ſunt præcedentia, de quibus non eſt locus hîc vt tractemus. Contemplabitur ergo Medicus circa ægrũ contingentia iſta, vt per ſigna omnia collecta deueniat ad cognitionem morbi: quæ ſigna haberi poterunt, partim ex præſentibus accidentibus, quæ apparent, & ex relatione aſtantium amicorum: partim ex his quæ quotidiè & ſingulis diebus emergunt, quando viſitat ægrum. Sed ad tertium propoſitum, nempe prognoſticum, veniamus: in qua arte prognoſticandi omnino oportet eum

tet eum esse exercitatum, si inter maximos Medicos haberi vult: prognostico enim distinguuntur Medici docti ab indoctis: in hoc toto cognoscitur vera doctrina & artificium Medici, non in remediis applicandis. Periti & imperiti eodem Oxymelite, iisdem Syrupis vtuntur, eædem sunt vtrorumq; Medicinæ: ita periti curant sicut imperiti, & ita his feliciter succedunt auxilia sicut & illis: imò fortuna potiùs fauet temerariis & ignaris, quàm sapientibus. Propterea in curatione dirigenda, siue fiat rationabiliter, siue casu & fortuna, non distinguetur Medicus doctus ab imperito: in solo prognostico verè cognoscitur, non in euentu rei. Libris ergo Prognosticorum Hippocratis studendum est: tum vt ægroti Medico prædicenti magis fidant atq; obsequantur: tum vt Medicus præcognoscens morbos futuros, faciliùs ipsis obuiam ire possit: deniq; Medicus ægrotum moriturum prædicens, se vindicet ab infamia. Sed benè vellem illud homines sciant, Medicum esse rationalem non vatem; ideò quando prædicit futuram mortem, in tali vel tali hora vel die; non prædicit vt vates & Propheta, sed vt Physicus & Medicus rationalis, qui non sine ratione mouetur. Primò respicit accidentia omnia, ex quibus discurrendo per eorum causas, colligit mortem vel salutem. Si mortem, alia deinde considerat, ex quibus & diem & horam mortis prognosticatur. Sed illis fundamentis tribus habitis,

vltimò tandem curationem in morbis curabilibus, indicationibus erectis aggredietur. Indicatio autem communis & vulgaris ſumenda eſt à morbo, & non poteſt ſumi, niſi natura ipſius cognoſcatur: vt v. g. Eſt morbus, ergo remotio eius indicatur. Vnuſquiſq; hoc ſcit, vlteriùs progrediendum eſt. Si debet remoueri, oportet videre cauſas, & remouere tam intrinſecas quàm extrinſecas ipſius morbi. Morborum autem alii nondum ſunt facti, ſed niſi prouideatur, futuri. Alii fiunt, & partim ſunt facti, partim fiunt. Alii omnino ſunt facti, nec ampliùs fiunt. Et hinc oriuntur indicationes, vel præſeruatiuæ, vel curatiuæ, vel mixtæ. Duæ ſimplices extremæ, præſeruatiua à morbo non ente, curatiua à morbo facto. Compoſita vna & miſta, à morbo qui partim fit, partim factus eſt: non eſt factus nec abeſt, ſed eſt in fieri, vt dicunt Medici. Quatenus fit, indicat præſeruationem, quòd remouendæ ſint cauſæ efficientes extrinſecæ: & præſeruatiua indicatio eſt, vt prouideat Medicus ne vlteriùs ægritudo progrediatur. Quatenus factus eſt, indicat remouendum eſſe & curandum, & hæc eſt indicatio curatiua, quæ indicat remouendas cauſas intrinſecas morbi eſſentiales, actu facientes ipſum. A morbo ergo diſtincto, diſtincta ſumitur indicatio, & artificialis non vulgaris. Exemplo propter iuniores illuſtro. Febris putrida maligna non poteſt remoueri, niſi remotis cauſis febris. Cauſæ

ſunt quædam materiales à quibus dependet, nempe tres humores, qui ſunt remouendi; primò quidem ſunt vapores putridi, eleuati ab humoribus putridis intra venas, qui petentes cor, non modò calefaciunt humores cordis, quibus commiſcentur; ſed quod magis eſt, quia peſtilentes, putrefaciunt & putredine ſumma inficiunt. Et cùm hæc ſit materia proxima coniũcta huius febris, Medicus debet remouere vapores putridos & humores putrefactos in corde: ideò cõſtituitur vna indicatio curatiua, vt remoueatur materialis cauſa. Non poterit enim Medic⁹ remouere illos vapores, nec humores putridos, niſi priùs remoueat humores qui actu putreſcunt in venis totius corporis, à quibus eleuantur vapores putridi, qui ſunt cauſa proxima & immediata febris peſtilentis. Duplex itaq; erit hactenus indicatio. Vna ſimplex, quæ eſt vt tollantur vapores putridi & humores corrupti, & iſta reſpicit immediatè cauſam coniunctam. Secunda eſt mixta ex curatione & præſeruatione, cùm illa prima ſit ſimplex curatio, ſed quia non poteſt tolli cauſa efficiens, non poſſunt tolli humores corrupti, & à venis educi, niſi euacuem primò & remoueam humorem, qui nondum putruit; illud videlicet quod reliquum eſt de maſſa ſanguinis minimè putrefactum, & eſt cauſa antecedens ſimpliciter. & ita indicatio erit ab humore non putrido præſeruandi ſimplex. præſeruabo namq; ne putredo fiat in hoc humore, euacuabo humorem, qui

1. Indicatio.

2.

3.

rem, qui nondum putruit, ne putreſcat & augeat cauſam efficientem, conſequenter & coniunctam. Et ſic quod erat vltimum in reſolutione, erit primum in executione, aſcendendo ab euacuatione cauſæ antecedentis, ad euacuationem cauſæ efficientis, poſtremò ad tollendam cauſam coniunctam. Duobus autem inſtrumentis veram & per ſe euacuationem Medicus perficiet: vel pharmaco ſoluente, vel ſanguinis miſsione: & vtrum horum an vtrumq; conueniat, priùs illi videndum erit. Non ſufficit enim vniuerſales indicationes ſcire, neceſſariò ſpectandæ ſunt magis artificioſæ & particulares indicationes. Non ſolùm enim ſatis eſt ſcire quod eſt euacuandum, ſed etiam qui humores ſunt euacuandi, qui non. Deinde ſciendum eſt, quantùm, qui termini ſint euacuationis: tandem etiam quomodo euacuandum, quando,
2. Aph: 21. per quæ loca cõmoda. Nam inquit Hip: per cõuenientes regiones ducere oportet. Quæ conditiones quinq; non ſolùm in arte Medica, ſed etiam in quacunq; actione prudenti & rationabili obſeruantur. Tum limitantia ſeu contraindicationes conſiderabit, virtutem, complexionem, figuram corporis, ætatem, conſuetudinem, artem, accidentia, tempus anni, regionem, conſtitutionem àëris; quæ regulæ & tanquam tyranni, iubent & cogunt nos, quod non deberemus facere. Si itaque in his optimè exercitatus futurus Medicus meus fuerit, erit proculdubio optimus & rationalis Me-

nalis Me-

nalis Medicus; & quantò indicationes curandi magis distinctas habebit, tantò tutiùs operari poterit: si verò confusas indicationes habebit, certum est quòd aberrabit, ac indistinctè & confusè operabitur. Vnde verus Medicus dicitur esse ille, (vt inquit Gal:) qui magis distinctè discurrere nouit à particularibus ad vniuersalia, & ab vniuersalibus ad particularia, vsq; ad indiuiduum; quod si & nos faciemus, tunc perfecti boniq; Medici ac verè Philosophi erimus. Sed vtinam priùs aliqui nostrum artem & habitum bonum hunc addiscerent, quàm exequerentur; sicut enim (vt aiunt) vnusquisq; id agit feliciter quod optimè nouit: ita qui principia & officia Medici non ignorat, cuius finis sanitas existit, vt sanum ægrum reddat necesse est. Egregiè lusit ille in Medicos, cùm inquit: Vidi ego plurimos heri Aromatarios, hodie Medicos: heri barbarum rasores, hodie morborum grauium censores: heri herbas cæteraq; materialia in Apothecis commiscentes, hodie in principum aulis morbos iudicantes. Si enim etiam sanando, vix nomen boni Medici quisq; assumit, quonam pacto necando medicandi titulum vendicabit? Mira certè res est. Vt enim, inquit Hieronymus: Fullones, metallarii, fabri, lignorum rasores, ipsa quoq; vilia officia exercentes, absq; doctore esse non possunt, nec experiri audent, quod non nouerunt: sola est medicandi ars, quam sibi passim vnusquisq; vendicat. Alii enim à crebrò infirmantibus Medicinam addiscunt, alii à fœminis vt viros curēt,

Gal: 2. de Crisibus.

1. ad Glauconem. & in lib. Terapeu

In Speculo vitæ.

 alii ab

alii ab infidelibus Hebræis medicantur & audiunt, vt fideles necent: alii neſcio quibus libellis legunt, vt in miſeris corporibus vniformiter exequantur: & (vt aiunt) vno colyrio ab eis incognito, omnium oculos volunt curare: quo fit, vt cœcus arte, natura videntem cœcum faciat: alii Medicinam neſcientes, medicina abutuntur, & artem egregiam, quam non nouerunt, profitentur, Medicinæ excellenti & illuſtri nomine gloriantur: quippe quæſtus gratia, pecuniam vt finem quærunt: præmium certè vero Medico, non modo exiguum, ſed ſordidum & tanto labori impar, nec ingenio dignum. Ex quibus huius artis difficultates & incōmoda in promptu ſunt, dum viris excellentibus non creditur, & hac laudatiſsima arte abutentibus, præmia dantur. Adde quia multa millia hominum, talium Medicorum inſipientia aut inexperientia, fortè moriuntur, & dum vnum morbum curare ſatagunt, plures inducunt, aſſuefaciuntq; miſeros ægros, vt ſine medicinis viuere non valeant, quas niſi aliis parandis, minimè ipſi tangunt, nec deguſtant. Taceo quot morborum prolongationes, quot peſtiferas potiones, quot infirmitatum comminationes, miſeris infirmis ingerunt: & quos abſtinentia, aut ſimplici victu, vel herba, ſi ſcirent, curare poterant; ſumptuoſis vltra marinis quippe & adulterinis materialibus, quę ipſi aut vendunt, aut illorum lucrum participant, curare: potiusq; inficere humana corpora moliuntur. Ediſſerunt quidam cauſas & naturas ægritudinum ſubtiliter,

liter,

liter, dantq́; ſanitatem verbo tenus: adeò vt ſicut quidam ſapiens dicebat: Cùm eos audimus, mortuos poſſe ſuſcitare credimus: paulò tamen poſt cernimus inanem eſſe eandem ſanitatis ſpem, quam ilicò inſperata mors intercipit. Tales vulgares Medici, omnes infirmos eſſe præter ſe & ſuos, inſalubremq́; & peſtiferam àëris conſtitutionem deſiderant. quos quidam ſapiens ſimiles dicit iis, qui ad funera corpora hominum ſepelienda deferũt. quos Demoſtenes Athenis damnauit exilio, eo ſolo, quia optabant plurimos mori, vt inde lucrum caperent, quod contingere non poteſt ſine multorum morte. Tales etiam fortaſsè Medicos toties à Romanis exploſos legimus: eo quòd præter ſuperuacaneam impenſam, accedebat iactura populi; idq́; fuiſſe verum ex loco Galeni coniicitur; cùm ille in vno Menſe quatuor aut ſex magno labore ſeruabat ægros, cæteri autem viginti ſingulis diebus occiderent. fuiſſeq́; tempus Romæ, quando ſexcentis annis illis carere maluerunt; nec ſpontè poſtea admiſerunt, niſi quãdo veneficia & adulteria aliaq́; mala irruperunt. Et ſi quando apud nos iſta licentia medicandi quibuſuis erat licita, & nullis legibus còërcita; nunc neſcio quorum culpa & negligentia reuiuiſcit. ita vt omnes meritò ſuggilent & clament: latrones, ſiccarii, venefici, homines inhumaniter occidunt: Medici tamen humaniſsimè & officioſiſsimè ſolẽniterq́; interimunt. Meum autem Medicum hunc, quem leui brachio adumbraui, (eundem ad Hippocratis Me- *In arte curat.*

dicatrinam, siue librum de Medici officio, qui omnium suorum voluminum principium est, & ad Galeni Medicum, qui idem Physicus est, relegans) spero si bono illi habitui assequendo plurimùm insudauerit, bonum deinde vsum atq; exercitium accuratum & perfectum adiunxerit, siq; pectus omni disciplinarum genere expleuerit, plurimosq; morituros à morte si eripuerit & liberarit, (fieri enim non potest vt omnes ægros sanos faciat) quòd eum homines vt diuinum habebunt, amabunt & venerabūtur, non calumniabuntur, neque in secundis reponent. Modò etiam velim, vt finem faciam, ne homines in Medico eligendo fallantur, ne vel loquaciorem, aut ambitiosiorem, aut seniorem, aut qui plures clientelas numerat, aut promptiorem, aut magis præcipitem, aut magis familiarem, aut moribus cōptiorem, aut verbis blandiorem, aut vestibus ornatiorem, vel eum qui potentum limina terit, reliquis præferant: cùm studium assiduum, doctrinam copiosam, diligentiam exactam, naturæ iudicium acre, vera prognostica, & optimos successus debent anteponere.

Hipp: teste in Prognost.

Cardanus in lib: de malo medēdi vsu.

F I N I S.



Cum Licentia Superiorum.



